



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 1. Rebus monstrosis, tanquam oppositis, res non monstrosas magis
elucere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

4. Reg. 2.
23.

quòd malam effugerint caluam. Quis non
 ridiculam putaret talem irrisionem? Sed
 vide, quanti eam fecerit, Deus: cùm Eli-
 faus in Bethel ascenderet per viam, pueri
 parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei
 dicentes: Ascende calue, ascende calue. Qui
 cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis
 in nomine Domini: egressiq; sunt duo ursi de
 saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta
 duos pueros. Quòd si caluitium vitio ver-
 tere adeò est graue, quantum malum erit,
 irridere alterius monstrositatem misera-
 tione longè digniorem? à qua exploden-
 da satis nos deberet terrere, quòd im-
 pium sit, Dei opus contemnere.

CAPVT IV.

Vniuersum Monstris ònari, in Pygmæis
 & Gigantibus ac enormiter fortibus
 ostenditur.

§. I.

Rebus monstrosis, tanquam oppositis, res non
 monstrosas magis elucescere.



E quis autem existimet, DEO
 caussas non esse, tales vel defe-
 ctus, vel effectus naturæ Mundo
 infe.

inferendi, reperit D. Augustinus, & Dionysius Carthusianus quamdam in ipsa monstrorum deformitate, venustatem. Siquidem contraria se mutuò commendant, faciuntq; gratiora. Quemadmodū ergo gratiam lucis extollit obscuritas noctis; & morbi ostendunt beneficium sanitatis; vmbraeq; & atri colores picturæ augment amantatē; dum eminentiora quæque distinguunt, & differentiâ colorum, alternâ vice, se se excitante, opposita iuxta se posita clariùs elucescunt; ita & ea, quæ fœda sunt, dum res pulchras cōmendant, faciunt ad decorem atque elegantiam vniuersitatis. Qui scenicis spectaculis volunt delectare, non tantum Gratias, sed etiam Furias, & cum aulicis rusticos in theatra inducunt. Et mulieres interpoles, vt facie candida esse videantur, nigrâ taniâ collum inumbrant. Ad eundem modum etiam Mundus iste visibilis non formosarum modò, sed etiam deformiter exorbitantium rerum, velut intermedijs, exornatur. Nam, præter varietatem, etiam habent ista deformia elegantium commendationem. Eò pulchriora sunt prata, quò pictiora, ipsa florum herbularumque diuer-

S. Augustin. l. 16, de ciuit. c. 8. Dionys. Carthuf. lib. de venustate Mūdi. c. 9.

diuersitate gratiam conciliante. Quin & raritas quoq; habet leporem; & animum admiratione percellit, quidquid est inusitatum. Vnde, sicut in picturis, ita in creaturis monstrorum parerga conciliant ornamentum.

§. II.

Pygmaos ipsa deformitate sua esse gratiosos.

Igitur esto, non censeatur in se pulcher Pygmaeus, qui *pede non est altior uno*; neque venustus putetur, qui Polyphemus, (quippe nemo cupit de Myrmidonum esse, aut numero gigantum; notariq; se putant, qui, per iocum, vel *Longini, vel frustum hominis, aut Abbreuiati, Grylline* nuncupantur) nihilominus tamen hæc ipsa vniuscuiusq; deformitas, hic excessus, aut defectus vsque adeò fecit ad ornatum vniuersi; vt in Principum aulis, pumili, instar simiorum, in oblectationem alantur; & *gigantem* circumducere multis sit lucrosum. Vt enim fatietas fastidium, sic raritas parit delectationem. *In Aegypto*, inquit Nicephorus, *natus est homo infra incredibilem statura breuitatem consistens, sub Theodosio: ac talem quoque, nostra atate vidi ipse.*

Niceph.
l. 12, c. 37.